

cem & septem, conjuratorum principes ea nocte fere omnes in potestatem Patrum redacti, ac sceleris convicti, ad unum suspendio necati sunt, reste ex ipsis columnis superiore parte curiae demissi. Ferunt in his fuisse Philip-pum Calendarium, statuarium & architectum ea tempe-state clarum: quippe cuius opera Patres in publicis uti consuevissent ædificiis. Hujus creditur esse, quicquid recentiorum operum, quæ veteribus longe præstant, quæque tota fere curia ac foro hodie visuntur. Reticuissim ejus quoque nomen, nisi inhumanum visum esset, illius ingenium (quod omnino præstans alioquin fuisse traditur) propria laude fraudare. Nam quod ad ipsum scelus attinet, tantum abest ut nefanda conjuratorum nomina aliquo modo relaturus sim, ut parum considerate eos fecisse existimem, qui in illis referendis maxime sunt occupati, qui cum illis se injuriam facere credant, ab ob-livionis injuria vendicant. Nemo non, quamvis scelestus, quoquo modo possit id fieri, suum vellet nomen posteri-tati commendari. Memoriae proditum est, ignotum olim hominem Dianæ Ephesiæ templum de industria concre-masse: qui postea sceleris convictus, quum rogaretur quo consilio id fecisset, respondisse dicitur, ut scelere aliquo atrocissimo, quia virtute non posset, sibi nomen compa-raret. Ferunt, tum ad illius memoriam abolendam lege cautum, ne quis illius nomen in annalibus aut historia referret. Merito quidem ac prudenter; atrocius namque supplicium fuit, ejus memoriam, quam vitam abolere. Quanquam nostros quoque domestica exempla sui officii admonere potuissent. Tepulana conjuratione decreto Pa-trum cautum est, ne quis Bajamontis aut cujuspam con-juratorum signa in albo aliave materia referret. Quid quod quum omnium Principum imagines ab initio urbis ad hæc tempora in comitio referendas majores censui-sent, ne Phalerii perniciosi Principis imago in tanta ma-jestate Ducum conspiceretur, thronum vacuum nigro ve-lo opertum figurari voluerunt. Viderunt & ipsi, eos qui de Republica male meriti essent, nullo majore suppicio

*Inter con-spirantes Calenda-rius archi-tectus no-bilissimus.*

*Ceterorum nomina con-sulto reli-centur,*